



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 1. An necessario semper noscat Angelus seipsum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

solvetur: quare non noscant futura Angeli, etiam si concedantur illis illorum species. Tum, quia rationes in oppositum non convincunt: Nec enim probatur, Deum illas solum species conceisse, quas produxissent objecta: Nam neque universales species possent habere; cum ipsa objecta talem universalitatem non habeant, adeoque neque vim producendi tales species.

ASSERO 3. *Qui vellet tueri, quod Angeli non habeant species, ad hoc deberet attendere.* In primis quod sit disparitas de hominibus & de Angelis: Nam si homines non haberent species, intellectus illorum nullo modo penderet à corpore: Nam quod pendeat, in id refertur: quia pendet à specie spirituali, fabricata ad imitationem speciei materialis. Rursus teneri posset quod objecta non habeant nisi concursum terminativum. Cur autem non omnium simul objectorum eliciantur notitiæ, referendum esset in determinationem potentiae, limitatam capacitatem habentis. Teneri denique posset, quod respectu notitiarum præhabitarum quas se exercuisse meminit Angelus, dandæ sint species; & quod illæ ipsæ non concurrant effectivè ad illam notitiam, sed quod se habeant non nisi per modum complementi.

QUÆSTIO II.

De ipsamet Intellectione Angeli.

Quod Angelus ab omni omnino notitia cessare non possit, ordinariè docetur cum Suar. L. 2. c. 35. Tum, quia poneretur tunc Angelus, quasi in statu mortis cujusdam, nullam omnino operationem exercens vitalem: quia hæc in ente, qui est spiritus, non potest esse, nisi incipiens ab intellectione. Immo si non intelligit Angelus, nec loco quidem moveretur, quia hoc deberet facere liberè, liberè autem non posset facere, si non intelligeret. Tum, quia ut arguit Suarez ibidem. Vel necessariò abstinere Angelus ab omni omnino intellectione, vel liberè? Sinecessariò, contra erit; Quia hujus necessitatis nullum est principium; cum nec turbari, vel auferri species; nec fatigari intellectus possit. Si autem liberè, ergo ex prelucente intellectu; Ergo dum non supponitur cogitare, cogitat: quia dum supponitur vellet cogitare, debet cogitare; ut possit velle, nec cogitare.

Neque valet si dicas, sufficit quod ad initium preluxerit intellectus, ut possit voluntas impedire ne intellectus cogitet, non inquam valet si dicas: quia vel cognoscit intellectus illud imperium cum non cogitat, vel non cognoscit: Si non cognoscit, cur non redit ad suum agere, ad quod habet omnia complementa expedita, ut species, concursus preparatum, &c. Immo illud imperium habebit se quasi non esset, cum nec in se sit, nec in sui apprehensione. Si au-

tem noscit hoc imperium, cum non cogitat, ergo cogitat cum non cogitat: noscere enim illud, est cogitare. Tum, quia ut probat Martinon d. 40. n. 5. quod Angelus non sit necessitatus ad quamcunque distributivè cognitionem, proficiscitur id ex limitatione virtutis intelligendi, & ex libertate, ut possit ex una transire ad aliam cogitationem: Sed non potest se liberè avertere ab omnibus objectis collectivè; quia non potest esse exercitium libertatis sine cognitione actu præsentis. Ideoque & nos experimur nos non vacare in vigilia, imò nec in somno, & si cessaremus in somno, in impedimenta corporis hoc referri deberet; quibus carent Angeli. Imò cum nulla sit talis species quæ non habeat aliam sibi connexionem similem, excitare sese poterunt ad invicem.

In duobus tamen casibus putarem cessare animam à cogitando, in primis in infantibus propè exordium vitæ, & in patientibus spasmodum. His præjactis. *Sic*

DIFFICULTAS I.

De variis Notitiis Angelicis circa seipsos.

Quoniam Objectum quod est Angelus, est sibi præ aliis intimius; hinc consideratio, notitiarum hujus objecti, primum sibi locum vendicat.

Punctum Difficultatis 1.

An necessario semper noscat Angelus seipsum?

DICENDUM est. *Non esse necessarium, ut Angelus noscat seipsum continuatà semper notitià;* Ita Arr. d. 11. S. 2. Mart. d. 40. in quantum dicit Angelum quavis distributivè notitia posse carere, & ante illum Vasq. d. 219. c. 3. contra Suar. hic l. 2. c. 35. n. 8.

PROBATUR I. Angelus secundum sua naturalia spectatus, non est necesse, ut cogitet semper de Deo tanquam Auctore naturæ, ergo nec cogitare debet semper de se. Ant. concedunt etiam oppositi, & probari per hoc potest; Quia cum Angelus extendere sese possit ad alia & alia noscenda, deferereque notitiam unius objecti, transferendo se ad notitiam alius; Ergo etiam transferre poterit notitiam à Deo tanquam Auctore naturæ, præcipuè cum nulla sit necessitas & fundamentum hujus adstrictionis. Conseq. principalis probatur; Quia est paritas, utrobique nulla necessitas adstringendi, & si Angelus habendo omnia requisita ad noscendum Deum tanquam Auctorem naturæ, potest divertere mentem, cur non divertere poterit à notitia sui?

PROBATUR 2. Quia si Angelus deberet in perpetuum de se cogitare, id ideo esset, quia non posset postea unquam determinari ad cogitandum de se, & ad cogitandum alia: sed hæc ratio non convincit; quia posset determinari à Deo seu à cogitationibus quas vocat Aristoteles injectas à bona fortuna. Posset determinari ex connexionione specierum. Posset etiam determinari ab occurrentia objecti: ut si unus Angelus dicat alteri, ego modo cogito de me, tunc alius audiens, ab hac occurrentia, posset invitari ad cogitandum etiam de se, &c.

PROBATUR 3. Quia moraliter loquendo videtur tadio efficiendus Angelus una hac cogitatione: nam quod Beati cogitent perpetuo de Deo, sine fastidio, id referri debet in id; quia est objectum infinitæ perfectionis, quale objectum, non est Angelus.

OBJICIT I. Suarez. Si Angelus à sui cognitione cessaret, non posset se liberè ad aliquid cogitandum applicare; quod probatur, quia vel Angelus cessando à sui cognitione, simul cessat ab omni alia, vel in aliqua permanet; Si primum, ergo cessat ab omni etiam voluntatis actu: Unde ergo incipiet postea aliquid per intellectum vel voluntatem operari: non quidem voluntate: quia necesse est ut intellectus præeat, si autem ab intellectu, ergo non liberè nec à se: quia intellectus tunc solum liberè exercet actum, quando à voluntate movetur. Si verò dicatur secundum, scil. non cessare illum ab alia cognitione, redibit argumentum, quomodo se scil. determinaturus sit liberè ad alia cogitanda, ab iis quæ cogitat.

RESPONDET Arriaga D. II. n. 18. Quod Angelus necessario semper actu cognoscat quidditative suas species omnes quas habet, & in iis noscit objecta omnia sed abstractivè; rationemque dat, quia Angelus ut possit uti suis speciebus liberè, est illi necessaria talis cogitatio specierum; hinc natura, quæ non deest in necessariis, petit ut Angelus semper talem actum habeat. Ut autem salvet quomodo Angelus non est in actu notitiæ omnium objectorum simul, dicit quod semper sit in actuali cognitione sibi adæquata, quæ est v. g. 100. objectorum, ad quæ dum se applicat, deest illi virtus in actu primo ad priora, unde per accidens impeditur à voluntate. *Hec Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia si Angelus est in actu cognitionis omnium suarum specierum. Ergo est & in actu cognitionis omnium illorum objectorum quorum illæ sunt species, impossibile enim est noscere speciem, quæ refertur ad objectum, non attingendo objectum. Quod si noscit omnia objecta, falsum erit, quod assumebat Arriaga nosci ab Angelo non nisi aliqua. Et cum pluralitas notitiarum abstractivarum in speciebus, non sit major præ pluralitate notitia-

rum quidditativarum quæ essent objectorum in illismet ipsis, bene has simul omnes notitias quidditativas poterit habere Angelus. Quod autem dicit Arriaga, à speciebus non contineri adæquate objectum; Si procedat ad negandam illis vim & continentiam pro representando, falsa erit assumptio; vera autem, si procedat de negatione continentia entitativa. Tum quia cur non habebunt Angeli quidditativas species rerum? quas si habebunt, cur non noscent omnia illa objecta quidditative, eadem indivisibili notitia attingendo speciem & objectum? sicut eadem notitia representando Patrem, representat suo modo filium. T. q. Si Angelus pro centum objectis noscendis haberet capacitatem illis non nisi solis adæquatam, & nihilominus nosceret omnes suas species, & haberet potentiam adæquatam illis solis centum objectis, ut supponitur; & non haberet; quia præter illa centum objecta, nosceret adhuc species.

RESPONDETUR 2. Determinari Angelum ad sui vel aliorum objectorum notitiam per cogitationes bonæ fortunæ; per excitationem specierum vi connexionis earundem; denique per occurrentiam objectorum, ut dictum supra.

INSTAT I. Suarez, sequitur exinde omnes cogitationes Angelicas esse ab extrinsece necessarias, nullamque posse esse liberam; quod incredibile est. Seq. probatur; Quia cum Angelus applicatur ad cogitationem alicujus rei, eò ipso simul cogitat de omni re, quæ cum objecto illius cogitationis habet necessariam connexionem. Hinc si prima applicatio ad cogitandum est naturalis, seu non libera, tota etiam cogitatio erit talis.

RESPONDET I. potest cum Arriaga citato, quod immixtas cogitationes possit abicere, itemque aliter advenientes. Hinc si non abiciat liberè, toto etiam processu cogitabit; ad eum modum quo etiam nos facimus.

INSTAT 2. Sequitur quod Angelo inconsideratio aliqua nunquam imputari posset, contra communem Theologorum sententiam: certe enim si ita considerare non est in illorum potestate, quomodo inconsiderantia illis imputabitur?

RESPONDETUR. Posse illis imputari inconsiderantiam: quia possunt cogitationes bonæ fortunæ, aliterque excitatas abicere, vel ut ita dicam, nolle examinare.

INSTAT 3. Non est in potestate Angeli avertere cogitationem quam à Deo accepit; quia vel illam averteret transeundo ab una cogitatione ad aliam; vel privativè suspendendo illam. Non primo, quia ad hoc ipsum indigeret nova determinatione à Deo: Non etiam secundo modo; quia si intellectus Angeli natura sua non subest voluntati quoad eliciendam cogitationem, non est cur subit quoad suspendendam illam, præcipue verò quia illa suspensio sine posi-

voluntate, fieri non potest; ipsa autem voluntas, non esset, sine nova cogitatione.

RESPONDETUR. Quod possit Angelus avertere mentem transeundo scilicet ad aliam cogitationem, ad quam ut transeat, potest quidem determinari à Deo: sed potest etiam determinari à dicto ab excitatione speciei cōnexa: & licet Angelus, dum dicit: Nolo de me cogitare, debeat tunc de se cogitare, non sequitur quod debeat de se vel de objecto, de quo immediate cogitavit, cogitare etiam sequenti tempore, applicando scilicet mentem, ad aliud objectum, ex ejus concurrentia, &c.

OBJICIT 2. Angelus ut semper duret in perpetua sui notitia, habet omnia requisita: Nam & est sibi præsens, proportionatus, non fingatur, & cetera similia.

RESPONDETUR. Quod si Angelus velit possit durare semper in sui notitia. Sed nego quod debeat durare, & quod congruat ut duret. Cum autem de se non cogitat, debet habere defectum in circumstantia applicantis voluntatis, & sicut quamvis oculus sit potentia necessaria, nihilominus potest à voluntate applicari ad hoc potius quam illud videndum, ita idem poterit facere Angelus, suo intellectui.

OBJICITUR 3. Ex iis, quæ sibi opponit Esquiza q. 16. n. 3. Quælibet substantia intellectualis exhaurit totam vim suam cogitativam, cogitatione comprehensiva sui: Quia etiam Deus, nullam habet cognitionem distinctam à comprehensione sui; & tamen est impossibile ut aliqua substantia, habeat majorem proportionalem sufficientiam, quam Deus; Ergo non opererunt creaturæ vires ad aliquam aliam cognitionem, simul eliciendam.

RESPONDETUR. Hoc Argumentum non tantum probare quod semper se noscat Angelus, sed quod etiam nihil aliud à se distinctum noscere possit. Cæterum non convincit, nam licet cognitione comprehensiva sui exhauriatur tota vis cognitionis angelicæ; quia scilicet naturaliter quoad modum perfectionis, non potest elicere perfectiorem cognitionem, quam eliciendo illam comprehensionem sui; nihilominus non exhauritur vis intellectus, quod minus possit non ita in modo perfectionis perfectas, elicere notitias. De Deo dispar est ratio; quia comprehensiva illius, quam habet de se notitia, identificat sibi omnes alias notitias, suoque complexu tenet: Mirum ergo non est, si sola comprehensio exhauriat vim totam noscitivam in Deo. Quia verò comprehensio creata non identificat sibi alias notitias, fit ut compatiatur secum alias.

S. Thomas, qui in oppositum citari solet ex L. contra Gent. c. 97. non plus vult, quam quod Angelus, non possit desistere ab omni omnino cogitandi actu. In aliis locis, ut hic q. 57. art. 1. ad 3. non plus vult, quam quod nullo in-

digeat intrinseco, & per modum speciei principio, ut compleatur, sui notitiam eliciturus.

Punctum Difficultatis 2.

Utrum Angelus possit noscere seipsum ut possibilem?

Quæstio hæc procedit maximè de possibili: quia facile est inferre, quod Angelus exeat in talein actum saltem ex occasione, dum noscit à nobis, talia de se, inquiri.

DICENDUM est. *Posse Angelum noscere seipsum ut possibilem.* Utor potius hac phrasi, quam: An Angelus possit se noscere abstractivè, quia potest se noscere ut possibilem non tamen abstractivè. Est conclusio Scoti in 2. dist. 3. q. 10. Bassolis. Gabrielis, Arriaga d. 5. n. 16. Contra Suarez L. 2. c. 4. à num. 16. Valq. d. 204. n. 3. & non paucos Thomistas.

PROBATUR 1. Quia id non implicat ut Angelus attingat se præcisivè, considerando suam essentiam, & non considerando existentiam; Ergo potest se cognoscere ut possibilem; nam concipere essentiam sine existentia, est considerare rem ut possibilem.

PROBATUR 2. Quia id vel repugnaret ex parte objecti tantum, vel ex parte principii tantum, vel ex parte utriusque; ex quo enim alio capite? Ex neutro autem repugnat; quod probatur. Et quidem quod non repugnat ex parte objecti. Ratio; Tum quia status existentie patitur prædicatum possibilitatis, bonaque est illatio, (quam virtualem solum ponamus licet in Angelis) Existit, ergo est possibile. Immo si Angelus se non nosceret etiam ut possibilem, non nosceret necessariam, & indispensabilem sequelam, ductam ab existentia ad possibilitatem? Tum quia objectum quod Deus noscit scientiâ visionis, nonne etiam saltem materialiter spectatum attingit scientiâ intelligentiæ? Tum quia objectum quod est existens Angelus, habet plures formalitates, ex alia parte Angelus habet vim cognoscendi objectum quod est alio modo, quam sit; cur ergo non poterit cognoscere inadæquate & sine existentia. Non etiam id repugnat ex parte principii, quia multa objecta Angelus noscit ut possibilem, nec apparet quomodo in his prædicatis substantia completa intellectualis, includatur prædicatum, non noscendi possibilem. Nec repugnat quod ista notitia dicatur non esse omnino perfecta; hoc enim negari potest: Nam scientiâ intelligentiæ est perfecta, & tamen noscit possibilem. Sed concedendo quod non sit perfecta, non sequitur illam excludi debere ab Angelo: sicut nec in homine excluditur simplex apprehensio, quamvis possit habere discursum. Immo in noscente finito, bonum est, varietas modorum noscendi; cum unus modus noscendi non includat perfectionem